

9
C

Inter deglutiendum nimirum, cum tam pharyn-
gis quam laryngis adscensu descensuque opus esset,
rei toti exquisitè provisum est septena hac musculo-
rum pariatione, sursum his, deorsum illis trahentibus.
Posterior ordo cricothyroidem sibi adsciscit dilata-
torem anticum thyroidis: contractorem vero crico-
thyroidis lateralem.

Cartilagini autem arytenoidi apertor famulatur
cricoarytenoideus posticus, ac thyroarytenoideus a-
pertoris auxiliator cum arytenoideo eandē clauden-
te. Omne id tam dilatandi & constringendi, quam a-
periendi & claudendi gratia: cui priori negotio thy-
roides, posterior autem arytenoides cartilago præfere-
cta est; undē earum quoq; insertiones Galenus quan-
tumvis minus sagaciter, odorari aliquantillum, de gra-
vissimo magni Anthropographi judicio, conatus est.

Qui Quatuor insuper addere gestiunt, sic (utinam
sine istius Anatomicorum choragi præjudicio) cen-
sent; decem thyroidi, octo vero arytenoidi dari an-
cillantes.

Priorum octo dilatant, reliqui duo claudunt.
Illud agunt *Sternohyoideus* & *stylohyoideus*, longi sanè,
exiles tamen & graciles: ac lati brevesque totidem,
Hyothyroideus & *Cricothyroideus*.

Adstrictorum autem thyroides cartilago mittit
paria duo *Aanthoidum* (quos nemo sanè Anatomi-
corum praeter nostrum nominavit Chirurgum) tra-
versantium.

Aperiunt igitur crycoarytaenoideus posterior, &
lateralis: claudit vero Thyroarytenoideus, uterque,

C

30 VIII